



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Nomina numerorum in Deo significare aliquid posituum supra singulas
vnitates verior opinio est. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

nim sequitur, in eius sententia non posse unitatem esse negationem diuisionis, quia vnius negationis non est alia negatio. Sed neque dici potest ita opponi priuatiue unitatem, & multitudinem, vt negatio sit in multitudine, habitus vero, & forma positiua in unitate. Hoc enim præterquam quod nullis hæcenus docuit, nec vllus aliquo fundamento nixus poterit affirmare; ducit nos in absurdum superius contra Magistrum impugnatum, vt manifeste patet.

CAPVT III.

Solutio ratio secunda sententia:

AD argumentum sententiæ sancti Thomæ, & aliorum, quo probant, multitudinem transcendentelem non esse formam aliquam positiuam supra singulas unitates, etiam secundum rationem. Respondeo, idem dicendum esse de multitudine rerum quantarum, & quantitate carentium, nimirum vtrobique rationem multitudinis esse aliquid positiuum supra singulas unitates, quod nomine diuisionis explicari solet: nec esse peculiare aliquid in vna multitudine, quod non sit in alia, quo minus vtraque sit, in eodem prædicamento. Quod enim singule unitates quantitate continua præditæ sint, videtur omnino accidentarium ratione numeri, vt in prædicamento ponatur: namque quantitas numeri cum sit discreta, non in singulis unitatibus, sed in earum diuisione, & discretionem attendenda est; hæc autem etiã in spiritualibus reperitur. Quare Arithmeticæ ex eisdem proutus principijs disputant de numeris, siue rerum corporearum sint, siue spiritualium. Ego vero vehementer suspicor, vtrumque numerum sub propria ratione numeri esse aliquid per rationem, & intellectum, tamen si vterque in ratione multitudinis positiuum aliquam, & realem formam ratione saltem distinctam ab unitatibus significet: dixi sub ratione numeri, quia præter realem diuisionem, numerus etiam constat ratione prioris, & posterioris: est enim ordo inter primam, secundam, tertiam, & reliquas unitates, ratione cuius dicuntur numeri differre: atqui hic ordo, & distinctio numerorum solum est per nostrum intellectum, sicut enim ab hac unitate incipimus numerare, & definimus in illam possemus e contrario incipere, & denique à quacunque unitate multitudinis initium ducere, liberum est. Cum igitur non sit ex natura rei in rebus ipsis ordo primæ, secundæ, & tertie, sed in nostro intellectu, sequitur eam rationem, qua essentialiter cõpletur multitudo in ratione numeri esse per intellectum nostrum. Cæterum ratio multitudinis realis est, & positiua, distincta saltim operatione intellectus ab unitatibus, ea vera est ratio diuisionis, & huic opponitur vnitas vt supra probatum manet.

Tria tamen obseruanda supersunt, primum est, esse quidem in diuinis personis ordinem primum, & posterioris secundum rem, & non per formam intellectum, quo ordine ex natura rei est prima, secunda, & tertia persona: hic tamen ordo non est numeri; ordo enim numeri non est, nisi per intellectum, nam vt numerentur personæ, ita posset initium numeri sumi ab Spiritu sancto, sicut ab vnaquaque alia persona; ex qua doctrina supra disputatione 37. cap. 4. facile & recte ex-

plicauimus locum Ihsidori, qui viris doctissimis nostræ ætatis adeo difficilis visus est, vt corruptum esse censerent. Est igitur ille ordo originis, quo vna persona dicitur esse principium alterius, & altera ab illa procedere, prior autem dicitur illa; à qua alia procedit, quæ vero procedit posterior dicitur, de quo ordine reali copiosius disseremus diff. 169.

Secundo notandum est, ideo in Concilijs apud Patres aliquando dici, Deum nec capi numero, nec recedere à numero, quia simul in eo est vnitas essentia, & Trinitas personarum. Sic in Concilio Toletano II. in confessione fidei dicitur de Deo. Nec recedit à numero, nec capitur numero. ^{Quod à loci} ^{Patri meo} ^{plicam.} In relatione enim personarum numerus cernitur, in vnitate autem essentia, quid numeratum sit non comprehenditur. Et Bernardus lib. 5. de consideratione circa medium adducit illud Boethij de Trinitate, Hoc vero vnum, in quo nullus est numerus, subiungit vero ipse Bernardus, Trinitas est tamen Deus. Quid ergo destruimus, quod dictum est de vnitate, quia inducimus Trinitatem? non, sed statuimus vnitatem. Et infra. Quid sibi vult ipse (vt ita loquar) absque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si vnum, vbi numerus? sed habeo, inquis, quid numerem, & quid non numerem, substantia vna est, personæ tres sunt. Solum autem ibi contra Gilbertum contendit Bernardus, non posse numerari essentiam & personam, tanquam distincta, de quo satis superque disputatione 116. c. 5. & 120. cap. 4. dictum est. Quod si aliquando Patres absolute Deum prædicant sine numero; ex parte essentia intelligunt, ne plures Deos concedere videantur.

Tertio obserua, perperam allegari Ambrosiũ à Magistro in primo distinct. illa 24. ad probandũ nomina numeri negatiue tantum in Deo dici, nam Ambrosius libro 1. de fide capit. 2. quilo-
cus citatur à Magistro, loquitur solum in sensu quem hæcenus explicauimus, cum videtur numerum Deo negare, ait enim ante medium capit. Diversitas (intelligit personarum) plures facit, vnitas potestatis excludit numeri quantitatem, quia vnitas numerus non est, sed hæc omnium est principium.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hoc nomen, persona, possit esse commune tribus personis.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod hoc nomen persona, non possit esse commune tribus personis. Nihil enim est commune tribus personis nisi essentia. Sed hoc nomen persona, non significat essentiam in recto. Ergo non est commune tribus.

2. Præterea. Commune opponitur incommunicabili. Sed de ratione personæ est, quod sit incommunicabilis: vt patet ex definitione Richar. de S. Victore supra posita. Ergo hoc nomen, persona non est commune tribus.

3. Præterea. Si est commune tribus, aut ista communitas attenditur secundum rem: aut secundum rationem. Sed non secundum rem, quia sic tres personæ esset vna